THESES PHILOSOPHICAE,

Quas DEI Opt. Max. ductu,
& auſpiciis,
Ad diem 5. Kal. Auguſti,
EDINBURGI, IN ÆDE SACRA REGII COLLEGII,

Propugnabunt Adoleſcentes Magiſterii candidati, ex Academia IACOBI REGIS, hoc *Anno* 1618. *cum laurea emittendi.*

PRÆSIDE IACOBO REIDO.

EDINBVRGI,
Excudebat Andreas Hart.
ANNO 1618.

Honoratiſsimo Viro, laudatiſsimæq; nobilitatis Domino,

D. THOMÆ HAMMILTONO,

Domino de Binning,

Supremi Senatus Præſidi, Regiæ Majeſtatis *Secretario, eidemq; ab intimis* Conſiliis in utroq. Regno, &c.

Adoleſcentes Magiſterii candidati

S.

BIS *ac ter quod pulchrum eſt.* Ideò nos jam tertii in tertio ejuſdem ductoris, doctoriſque curriculo diſcipuli *Honori Tuo (omnibus nominibus Honorande)* has noſtras etiam lubentiſsimè dedicamus. Nam certè licet Patronorum numerus tantus eſſet, atque talis, ut delectus ipſe delectum ferè tolleret; ex omnibus tamen neminem nanciſci queunt, in cujus ſinum poſſent tutiùs convolare: qui in eam opinionem jam diù veneris, ut non ſolùm inter prudentiſsimos, & virtute quàm maximè excultos,

cultos, ſed etiam vindices Muſarum acerrimos principatum quendam tenere videaris. Quas tibi (*Vir nobiliſſime*) hic offerimus ſtudiorum noſtrorum primitias, licet non Dignitati tuæ, ſed viribus noſtris reſpondeant; cùm tamen neque (ut dicitur) in morem Mandrabuli, valorem ſi ſpectes, viliores ſint; neque ſi devotionem noſtram, inferiores quàm aliorum priùs extiterunt; animum ſanè ac benevolentiam tuam erga nos Muſarum, virtutumque tuarum cultores, neque minorem pollicentur: imò nunc etiam majorem; cùm ex virtute dignitatem, atque autoritatem tuam (quamvis ea ſit maxima) talem intuemur, ut majorem indies, & auctiorem videamus omnes, & velimus omnes qui videmus. Pergas igitur adhuc (*Macte virtute*) floreaſque magis, vel ut Muſarum Alumnos autoritate magis vindices, ac benignitate foveas. Quanquam gratia referri tanta non poterit, quanta debebitur, habenda tamen quantam maximam animi noſtri capere poterunt. Et tanquam viri boni ad ultimum uſq; diem vitæ ſtabimus, & hac in ſtatione moriemur, magna nos accepiſſe prædicantes, paria voluiſſe.

Vale.

Adoleſcentes Magiſterii candidati.

Alexander Robertſonus.
Andreas Simſonus.
Eleazarus Gilbertus.
Franciſcus Hayus.
Fredericus Muravius.
Georgius Craufurdius.
Georgius Humius.
Georgius Setonus.
Guliel mus Kayus.
Iacobus Bannatinus.
Iacobus Brunæus.
Iacobus Cokburnus.
Iacobus Duglaſius.
Iacobus Fiſherus.
Iacobus Rovæus.
Ioannes Anderſonus.
Ioannes Brunæus.
Ioannes Cranſtonus.
Ioannes Haitlæus.
Ioannus Hammiltonus.
Ioannes Hepburnus.
Ioannes Iohnſtonus.
Ioannes Macullochius.
Ioannes Nelſonus.
Ioannes Oſnaldus.
Ioannes Scharpius.
Ioannes Weiræus.
Nimianus Hayus.
Robertus Carmichelus.
Robertus Hepburnus.
Robertus Humius.
Samuel Kello.
Thomas Bannatinus.
Thomas Suintonus.

THESES LOGICÆ.

I.

VNA ſcientia eſt, quæ eſt unius generis ſubjecti. Ariſt. 1. Poſter. Text. 179.

App. 1. *Subjectum igitur eſt, quod ſcientiæ unitatem tribuit.*

2. *Non itaque materialiter, & ſecundum eſſe rei (nam ſic pluribus commune eſſe poteſt) ſed formaliter, & ſecundum eſſe ſcibilis conſiderandum eſt.*

3. *Licet omnia in Ente conveniant, quia tamen ſub unam conſiderandi rationem ſcibilem non cadunt, una omnium ſcientia eſſe nequit.*

4. *Ac proinde tam vera eſt, quàm communis opinio, quæ ſcientias ex diverſitate abſtractionis à materia diſtinguit: ut in Metaphyſica, eſt abſtractio à materia omnimoda: in Phyſica à materia ſingulari, non ſenſibili: in Mathematica à materia ſenſibili, non intelligibili.*

5. *Conſideratio Entis in Metaphyſica, etſi ſecundum rem rel quis ſcientiis communis ſit, ſecundum abſtractionem eſt incommunicabilis.*

6. *Quare omne ens conſiderabitur quidem à Metaphyſico, ſed ſub illis tantũ conceptibus, qui nullã materiam includunt.*

7. *Substantiæ igitur immateriales in Metaphysica considerantur distinctè, & secundùm omnes conceptus, tam generales, quam speciales: entia autem reliqua specialia non distinctè, sed quoad conceptus duntaxat generales, quibus cum immaterialibus conveniunt: ut sunt conceptus* Entis, Substantiæ, *& similium.*

8. *Hac itaque ratione unam omnium rerum esse scientiam, resque omnes necessarias, & nullas contingentes esse tuemur.*

II. Diversæ scientiæ (adeoque etiam habitus in genere) sunt quorum principia nec sunt ex iisdem, nec altera ex alteris. 1. Post. Text. 179.

1. *Habitus itaque quorum principia ex aliis communibus dependent, & intrinsecam connexionem habent, non diversi, sed specie iidem sunt.*

2. *Vt singularum scientiarum, similiter etiam Logicæ habitus specie unus est, ac simplex qualitas, non autem ex multis habitibus, aut qualitatibus conflata.*

3. *Non sunt tot habitus Logicæ distincti, quot sunt conclusiones diversæ, ut alius sit simplicium terminorum, alius enuntiationum, & alius syllogismorum: sed unus est, qui ad omnes partes, omnesque conclusiones sese extendit.*

4. *Intellectus igitur postquàm in una Logicæ parte habitum acquisivit, & posteà sese exercet circa alias ejusdem partes, non alios habitus simpliciter, & secundum essentiam, sed alias quasdam facilitates secundum extensionem ejusdem duntaxat acquirit.*

III. Universale est quod de pluribus aptum est prædicari. Cap. 5. de Interp.

1. *Natura igitur actu universalis est, per aptitudinem de pluribus prædicandi.*

2. *Ergo*

2. *Ergo natura prius actu universalis est quàm actu prædicetur.*

3. *Ideò non fit universalis per comparationem compositam, quæ est actualis prædicatio, sed per aliam priorem quæ simplex est.*

4. *Potest itaque unum cum alio comparari, seu in ordine ad aliud considerari, sine compositione, aut actuali prædicatione.*

5 *Hinc est quòd Aristot. 2. de Anima, Text. 145. dicat sensum communem differentias diversorum objectorum percipere, quod sine omni comparatione fieri nequit: cùm interim solius intellectus sit terminos unire per compositionem, aut divisionem, ut idem Aristoteles Lib. 3. Text. 21. testatur.*

IV. Vniversale genus est quinque prædicabilium ex communi Logicorum schola.

1 *Primum prædicabile quod est genus, in ratione essendi determinata species est.*

2. *Generis itaque genus est in ratione essendi, non autem denominandi: quia non est genus denominativè, aut accidentaliter, sed essentialiter: ipsum autem Vniversale denominativè genus appellari potest.*

3. *Quare in ratione denominandi, genus est quid superius Vniversali, quod in ratione essendi inferius est.*

4. *Per accidens idem poterit seipso latiùs patere.*

V. Forma, figura, tempus, locus, stirps, patria, nomen, eadem specie in Socrate & Platone reperiri possunt, ut palam est.

1. *Proprietates quæ vocantur individuantes, secundum speciem eadem si accipiantur, earum omnium collectio pluribus individuis convenire potest.*

2. *Ideoque non ſecundùm ſpeciem, ſed individuum accipienda ſunt.*

3. *Quòd itaque non niſi earum collectio requiratur, non eſt ob interna (quia nullum huiuſmodi pluribus ineſt idem numero) ſed externa duntaxat individuantia, quæ eadem etiam numero pluribus ſubiectis convenire poſſunt.*

VI. Non entis ſpecies nullæ ſunt ex Ariſt. 4. Top.

1. *In puris negationibus, generum, aut ſpecierum rationes nullæ ſunt.*

2. *Genera & ſpecies in negationibus ſolùm eſſe dicentur, quatenus ut entia rationis concipiuntur, per modum poſitivi, & intellectus unam abſtrahit rationem, in qua conveniunt.*

VII. Quidam non homo (*ut equus*) eſt animal.

1. Non homo, & non animal, *ceu ſpecies & genus non ſunt.*

2. *Ideoque negatio generis, non erit genus negationis ſpeciei.*

3. *Ratio itaque generica, aut ſpecifica negationis, ex formis negatis accipienda non eſt.*

VIII. Omnes negationes quæ tollunt formas determinatas, æqualiter conveniunt in negatione communi, & à ſe diſtinguũtur, per nudam formarum determinationem.

1. *Cenſemus omnes negationes quæ tollunt formas determinatas, ſpecies infimas eſſe negationis in genere.*

2. *Sive forma negata fuerit genus, ſive ſpecies, ſive individuum, non niſi infimâ ſpecie diſtinctæ negationes erunt.*

3. *In negationibus nullum eſt genus ſubalternum.*

4. *Et negationes iſtæ,* non homo, *&* non Socrates, *tam differunt, quam* non homo, *&* non lapis.

IX. Πᾶν μετέχον τῶν γένων ἢ ὂν ἐστὶν, ἢ ἄτομον ἐστι. 4. Top. cap. 2.

1. *Differentia genus non participat. Ibid.*

2. *Ergo neque differentia ſpeciei inferioris formaliter includit differentiam ſuperioris generis: nec ſuperior differentia de inferiori prædicatur.*

3. *For-*

3. *Formales itaque definitiones non ſunt, quæ per genus remotum, & differentiam proximam aſſignantur.*

4. *Si per genus remotum res formaliter definienda ſit, per omnes differentias intermedias, ad ultimam procedendum eſt.*

5. *Vltima differentia tùm demùm ſufficit in definitione, quando cum proximo genere collocatur: quia differentiæ ſuperiores non in ultima, ſed in proximo genere formaliter includuntur.*

X. Actus præſtantior & nobilior eſt potentiâ. 9. Metaph. text. 19.

1. *Ergo differentiæ ſpecierum genere perfectiores ſunt.*

2. *Omneſque naturam generis ad aliquem gradum, vel ſaltem ad aliquem altiorem modum eſſendi, intra eundem gradum naturæ elevant.*

3. *Cùm itaque in animalibus etiam imperfectiſſimis, gradus ſentiendi determinatus, ac ſpecificus ſit, etiam perfectior erit quàm gradus ſentiendi in genere, qui tantùm confuſus, ac indeterminatus eſt.*

XI. Accidens prædicabile eſt quod poteſt adeſſe, vel abeſſe à ſubjecto, ſine ipſius interitu: prædicamentale verò quod non per ſe, ſed in alio ſubſiſtit.

1. *Differentiæ diviſivæ ſubſtantiarum, earundem accidentia ſunt prædicabilia, non prædicamentalia: rurſus propria, ſunt prædicamentalia, non prædicabilia.*

2. *Accidens prædicamentale ſolùm comprehendit vera accidentia, prædicabile verò, etiam quæ licet ſubſtantiæ ſunt, modo tamen accidentali aliæ reſpiciunt.*

3. *Hinc duplex prædicatio accidentalis, una, ab accidente prædicamentali, non prædicabili: alia, à prædicabili, non prædicamentali.*

XII. Τὰ συμβεβηκότα ὑστερηθῆναι μὲν οἷόν τε πάντων, καὶ ἀναιρεθῆναι τὴν φύσιν ἔχει. Porph. cap. 16.

1. *Omne accidens commune extraneum eſt ab eſſentia, neque ullum rei eſſentiam inſequitur.* 2. *Fa-*

2. *Facultates videndi, audiendi, odorandi, &c. cùm fluant ex quodam gradu animæ sensitivæ, non sunt accidentia, sed proprietates.*

3 *Vt igitur quarundam specierum ignotæ sunt differentiæ, ita quarundam proprietatum subjectis determinata ignorantur, aut saltem non nominantur.*

4. *Et nequeunt huiusmodi facultates aboleri quoad convenientiam, etiam si quoad exercitium impediantur defectu organi.*

5. *Hinc illud, si senex haberet oculum invenis, ut ille, videret: quia non minùs habet facultatem.*

6 *Facultas itaque simul cum organo non corrumpitur.*

XIII. Socrates jam mortuus non subsistit omninò.

1. *Ergo neque per se subsistit.*

2. *Aliquid est substantia, quod per se non subsistit.*

3. *Ens per se subsistens, vel naturam substantiæ non declarabit, vel secundũ aptitudinem duntaxat intelligendum est.*

4. *Substantia igitur est ens quod aptum est ad subsistendũ per se: seu talis entitas, cui subsistentia per se debetur.*

5. *Non subsistẽtia, sed subsistẽtiæ modus est de essẽtia substãtiæ.*

6. *Subsistentiam actualem, aut extra suas causas existentiam causa efficiens tribuere potest, sed modum subsistendi, à se, suoq; genere quælibet substantia habet.*

7. *Primæ substantiæ à secundis habẽt, ut per se subsistãt, quoad modi convenientiam, seu (ut loquuntur) in actu signato: etiamsi in actu exercito, contrario modo sese res habet.*

XIV. *GENVS EST VNIVERSALE*, enuntiatio est, non minus, quàm *HOMO EST ANIMAL.*

1. *Ex nomine, & verbo, aut infinito nomine, & verbo fit.*

2. *Notiones* nominis, & verbi, *ita* subjecti, & attributi, *non solùm rebus primis, sed & notionibus secundis imponantur.*

3. *Notiones etiam secundæ subjectũ erunt operationis Logicæ.*

4. *Res*

4. *Res primæ, seu earum conceptus, licet primarium, non sunt tamen adæquatum subjectum operationum Logicarum.*

5. *Quare notionum secundarum dabuntur notiones aliæ secundæ, sed sine progressu in infinitum: quia diversæ naturæ notiones sunt quæ aliis imponuntur.*

XV. δεῖ ὑπολαμβάνειν ἐνίας, ἵνα ἴσῃ τὸ συμβ. Porph. Cap. 16.

1. *Et substantia tota, & singulæ ipsius partes, secundum entitatem suam priores sunt quantitate, & partibus ipsius.*

2. *Substantia non à quantitate, sed à se & partes habet, & etiam earundem extensionem in ordine ad totum.*

3. *Quòd itaque quantitas primò substantiæ tribuit, non est extensio partium entitatis, sed molis, quæ ex propria natura loci sunt occupativæ.*

4. *Ideo essentialis ratio quantitatis ponitur in hac extensione partium molis.*

5. *Reliquæ omnes ipsius rationes, ut esse divisibile, mensurabile, finitum vel infinitũ, & impenetrabile, quantitatis duntaxat passiones sunt, & à prædicta partiũ extensione procedẽtes.*

XVI. Continuum divisibile est in infinitum.

1. *Omnis pars continui continua est.*

2. *Terminus non est pars continui.*

3. *Terminativũ, & cõtinuativũ, rationes sunt indivisibiles.*

4. *Longè differunt continuum, & continuativum.*

5. *Cùm igitur linea & superficies sint & continua, & continuativa, & species, & non sunt species quantitatum: & directè sunt in Categoria, & tantùm reductivè.* (tur.

XVII. Cõtinuũ est cujus partes cõmuni termino copulã-

1. *Neque species continui ut proprias partes habet, ita proprium sibi terminum essentialiter vendicat.*

2. *Terminus lineæ non est terminus superficiei: nec terminus superficiei, corporis terminus est.*

3. *Quare neque lineæ dimensio superficiei, aut corpori essentialiter, & formaliter convenit.* 4. Super-

4. *Superficies formaliter non est bina dimensio, nec corpus, trina: sed illa, tantùm latitudo est: hoc, profunditas.*

5. *Superficies itaque habet longitudinem: & corpus, etiam latitudinem, non conditione propriâ, sed à linea, & superficie, quarum dimensiones tantùm supponit, aut materialiter includit, non formaliter significat.*

XVIII. Denominatio PATRIS, SIMILIS, ÆQUALIS, &c. non est extrinseca, sed formalis: sicut denominatio albi, aut calidi.

1. *Ergo ponit effectum formalem in subiecto, constituitque subjectum formaliter relativum.*

2. *Ergo relatum secundum conceptum proprium, & quà relatum, aliquid intrinsecum ponit in subiecto.*

3. *Falsum est quod multi putant relationem, ut relatio est, non respicere subjectum, sed duntaxat terminum.*

4. *Distinguitur itaque relatio à reliquis accidentibus, quòd per illam, subjectum non sit tale ad se, sed ad aliud, ut terminum: cùm cætera accidentia absoluta secundum proprios conceptus ita afficiant subjectum, ut tale sit ad se, non ad aliud, ut terminum.*

5. *Et hoc est quod Logici dicunt, relationem secundum* esse in, *ponere aliquid in subjecto, sed secundum* esse ad *nihil ponere speciale, per quod sit tale ad se, sed omninò ad aliud.*

6. *Relatio igitur non solùm habet* esse in, *cum cæteris accidentibus commune, per quod dicitur accidens: sed etiam* esse in *particulare, per quod dicitur accidens tale, seu relativum à cæteris distinctum.*

XIX. Relata activa, & passiva, secundum activam, & passivam potentiam, & potentiarum operationes dicuntur. 5. Metaph. Cap. 15.

1. *Quis non videt ex mente Arist. fundamentum paternitatis, esse potentiam nõ nudam, sed ad actum per operationem reductam.* 2. *Adeo*

2. *Adeò ut generatio necessaria sit conditio sine qua fundamentum esse nequit, imò per quam fundamentum proximum completur.*

3. *Etsi relationes omnes dependeant à suis fundamentis in esse, aut in fieri, non tamen in conservari.*

4. *Ad conservationem huiusmodi relationum sufficit fundamentum remotum, quae potentia generandi radicalis est, seu ipsa anima, quâ post generationem in terminis manente, manet relatio.*

XX. Scientia pro causa habet demonstrationem, & in ordine ad eam specificatur: opinio autem pro causa argumentum tantùm probabile.

1. *Scientia ex natura & conditione suae causa, etiam per primum actum acquisita, difficulter mobilis est à subiecto: opinio verò facilè mobilis est.*

2. *Vnde sequitur quòd licet versentur circa idem obiectum, specie tamen distinguantur sub genere qualitatis; per differentias essentiales,* difficulter & facilè mobilis ex natura causarum, *tanquam habitus, & dispositio.*

3. *Habitus itaque & dispositio essentialiter distinguuntur, nec dispositio in habitum transire potest.*

XXI. Οὐ τῷ ἀίδιον εἶναι, μᾶλλον ἀγαθὸν ἴσως, ὅστις μηδὲ λευκότερα, τὸ πολυχρόνιον τῆς ἡμέρας. 1. Ethic. Cap. 6.

1. *Ex Arist. temporis diuturnitas speciem non variat.*

2. *Igitur* facilè & difficulter mobile *ex causis accidentalibus, nempe ex diuturnitate temporis, aut actuum frequentatione, non essentiales, sed accidentales sunt differentiae habitus, ac dispositionis.*

3. *Qualitas itaque quae facile mobilis est è subiecto, non participat essentiam dispositionis, sed statum duntaxat accidentarium ipsius naturae convenientem: sicut qualitas difficulter mobilis statum habitus acquirit.*

4. *Vnde fieri potest ut qualitas aliqua habeat essentiam habitus, statum verò dispositionis, sicut scientia per primum actum acquisita: & contrà, essentiam dispositionis, & statum habitus, sicut opinio per actuum frequentationem radicata.*

5. *Ideo habitus sine absurdo accidentaliter dispositio: & dispositio accidentaliter habitus poterit appellari.*

6. *Dispositio itaque in habitum transire potest ratione status, licet non essentiæ.*

XXII. Nomen infinitum est quod similiter dicitur de omni ente, & non ente, excepto suo finito. Cap. 2. Interp.

1. Non justum *dicitur de omni, si justum excipiatur.*

2. *Si* non justum *etiam infinitè accipiatur, lapis rectè dicitur non justus, quia non est iustus.*

3. *Regulæ Arist. de æquipollentia enuntiationum, nempe* contrarium contrario, subcontrarium subcontrario æquipollent, infinitato alterius attributo, *universales sunt, nec exceptionem subiecti capacis admittunt, ut Logici communiter existimant.*

4. *Infinitum in universali sua significatione, non se habet ad finitum ceu privatio ad habitum: nec consequutio in enuntiationibus semper similis invenitur.*

5. *Dicimus itaque Arist. cap. 10. de Interp. contrarium affirmantem, non universaliter infiniti cum finito, sed specialiter, & in subiecto finiti solùm capaci comparationē instituere.*

XXIII. *Animal rationale est definitio, animal est genus, homo est species,* prædicationes sunt specierum de individuis: nam his æquipollent, hæc definitio *(nempe animal rationale)* est definitio, hoc genus est genus, & hæc species species est.

1. *Propositiones hæ, nec universales, nec particulares, nec indefinitæ, sed tantùm singulares sunt.*

2. *Ideoque subjecta in iisdem sunt singularia.*

3. *Sub-*

3. *Subjecta itaque nullum habent ſuppoſitum de quo prædicari poſſunt, quatenus in his propoſitionibus uſurpantur.*

4. *Et propterea nec univerſalis, nec particularis nota abſque falſitate ſubjectis adjici poteſt.*

5. *Hinc ſequitur quoad converſionem, de his ſimiliter ut de aliis ſingularibus ſentiendum eſſe.*

6. *Vt itaque hæc propoſitio,* aliquod animal eſt Socrates, *benè convertitur in hanc,* Socrates eſt animal, *aut* Socrates eſt aliquod animal: *ita hæc* aliqua ſpecies eſt homo, *in hanc,* homo eſt ſpecies, *aut* homo eſt aliqua ſpecies.

7. *Ideoque in converſione ſyncategorema benè jungetur attributo, ſi ſubjecto apponi nequeat.*

XXIV. Particularis negans ex Ariſtot. non convertitur, quòd ex converſione antecedens verum, & conſequens falſum eſſe poſſet.

1. *Ergo mala converſio non eſt converſio: Sicut mala conſequentia inconſequentia eſt.*

2. *Et in converſione non nuda propoſitionum forma, ſed ſyllogiſtica diductio includitur.*

3. *Adeò ut converſio ſit argumentatio, in quâ per transmutationem prædicati in ſubiectum, & contrà, unam propoſitionem ex aliâ colligimus.*

4. *Propterea non in doctrina enuntiationis, ſed poſt definitionem ſyllogiſmi, in Prioribus de converſione pertractatur.*

XXV. Accidentium quorum eſt demonſtratio cauſa alia eſt, & ab eſſentia eorundem diverſa. 2. Poſter. cap. 9.

1. *Cauſa proprietatum extra earundem eſſentiam eſt, atque etiam definitionem eſſentialem.*

2. *Idcirco definitio eſſentialis proprietatum perfecta non dicitur, quæ demonſtrationi reſpondet.*

3. *Proprietas de ſua cauſa, aut contrà, nec primo, nec ſecundo modo per ſe prædicabitur.*

4. *Licet novum, tamen verum, nec ab Ariſt. mente alienum hoc dogma tuemur, quòd omnis propoſitio in qua affectio prædicatur de ſua cauſa demonſtrativa, ſive interna, ſive externa, ſit in quarto modo per ſe: pendentia enim affectionis à ſua cauſa maximè propriè δι' αὐτὸ eſſe dicitur, quæ quarti modi propria eſt conditio.*

5. *Ideoque propoſitio maior omnis demonſtrationis τίοτι, atque etiam demonſtrationis ὅτι erit quarto modo per ſe, nec illa in ſecundo, hæc in primo modo per ſe fuerit, ut communiter nunc omnes exiſtimant.*

XXVI. Motus eſt in mobili, tempus ubique. 4. Phyſ. Text. 95. Et locus eſt ſuperficies corporis ambientis ex Ariſt.

1. *Tempus, & locus affectiones Phyſicæ non inſunt univerſaliter corpori Phyſico, de quo demonſtantur.*

2. *Non igitur omnes affectiones ſubiecto internæ ſunt, ſed quædam externæ eſſe poſſunt.*

3. *Non eſt generalis conditio ſecundi modi καθ' αὐτὸ, ut attributum ſubiecto inſit, ſicut communiter etiam ab omnibus aſſeritur.*

4. *Per ὑπάρχειν itaque aut ὑπαρξιν in ſecundo modo per ſe, Ariſt. non veram requirit inhærentiam, ſed naturalem duntaxat convenientiam, per quam attributum de ſubiecto naturaliter prædicetur.*

THE-

THESES ETHICÆ.

I.

Δικαιὸν βέλτιστα εἶναι ὅτι δίκαιον ἔμψυχον, καὶ ζωτικὸν δικαιὸν μέσον. 5. Ethic. Cap. 4.

APP. 1. *Non nisi supremus Magistratus jus loquens, potens, & vivum simpliciter appellatur.*

2. *Ideoque lex erit tantùm jus mutum, mortuum, ac impotens.*

3. *Si vivum mortuo, potens impotenti, & loquens muto præesse consentaneum sit: Rex præesse debet legibus humanis, non subjici.*

4. *Quoniam itaque Rex quà Rex (hoc est præditus supremâ authoritate, & formatus formâ regiâ, quæ est Institia, & Prudentia nomothetica) legi præsit, per se præesse dicetur, & ex eventu tantùm subjici.*

5. *Idèo dixit Arist. 5. Moral. non hominem, sed rationem dominari: per hominem denotans obnoxium perturbationibus, vitiisque depravatum, per rationem verò prudentiam ferendarum legum, & formam regiam.*

II. Honor

II. Honor quatuor modis considerari potest. 1. Pro meritis honorati. 2. Pro actione justa honorantis. 3. Pro materia externa quæ tribuitur. 4. Pro signo virtutis.

1. *Si igitur pro meritis usurpetur, quia virtutes sunt honorati, earumque actiones, honor honorati est, non honorantis.*

2. *Hinc varia colligimus non iniucunda. 1. Vir probus nequit ab aliis honore suo privari. Virtus enim præmium est sibi.*

3. *Secundò, honoris nemo liberalis esse, nec honor unius in alterum conferri potest.*

4. *Tertiò, tenetur quisque sui honoris perquàm sollicitus, semperque ambitiosus esse.*

5. *Quartò, si eveniat ut vir probus vilipendatur, non propterea minùs, imò si cuncta patienter ferat, magis honore dignus est. Quia proprius cuiusque honor per vitiosas actiones laditur, non per receptionem iniuriæ.*

6. *Ex quo constat fatuam esse vulgarem opinionem, per quam qui vilipenduntur putantur amisisse honorem: quin potiùs dicamus semetipsos honore privare, qui talem inferunt iniuriam.*

1. *Honor si pro tribus reliquis accipiatur, honorantis est, non honorati.*

2. *Quare cum actio proba & iusta honorantis maximè attingat essentiam honoris, simpliciter, ac formaliter solùm est honorantis, non honorati.*

3. *Hinc etiam colligimus, cùm improbus, ut talis, non edat actionem iustam, nullo pacto alium honorare potest.*

4. *Externa obsequia, & aura popularis, honoris tantùm indicia sunt sæpenumerò fallacia, non autè vera ipsius expressio, aut significatio.*

5. *Et pauperes ut honorabiles esse, ita alios honorare possunt, cùm interim divites quandoque nec ipsi honorari debeant, nec alios honorare queant.*

6. *Verus itaque honor, ac minimè fucatus, non nisi virtutis præmium est, quod semper, & à quibuscùmque confertur nequit: & quo vel optimus per iniuriam privari potest.*

III. Vir-

III. Virtus ut reſpicit habentem, eumque perficit, virtutis: ut verò ad alios refertur, Iuſtitiæ univerſæ nomen obtinet.

1. *Vniverſa Virtus cum Vniverſa Iuſtitia re eadem eſt, ſolâque ratione diſtinguitur.*

2. *Simpliciter loquendo, idem eſt bonus vir, & bonus civis in qualibet adminiſtratione.*

3. *Civis qui depravatæ Reipub. legibus obtemperat, ſecundum quid, & reſpectu illius adminiſtrationis: at abſolutè, & ſimpliciter civis bonus non appellabitur.*

4. *Ex quo conſtat dari frequenter bonum civem, qui ſimpliciter ſit malus, & Iuſtitiam ſecundùm quid, quæ abſolutè Injuſtitia ſit.*

IV. Officium civile aliquid probitati ſuperaddit, cùm expoſcat ut homo intùs per virtutem rectè formetur, & abſolutè probus ſit: & inſuper ut ordines Reipub. cognoſcat, in iiſque ſit benè verſatus.

1. *Vnde fit quòd multi ſint viri probi, qui ad civilia negotia non ſunt accommodati.*

2. *Adeo ut difficilius ſit eſſe probum civem, quàm eſſe probum virum. Vnde illud* Magiſtratus virum *(id eſt civem)* indicat.

3. *Hinc univerſaliter verum eſt illud quod dicit Ariſt. Cap. 2. 5. Ethic. non idem eſt virum probum, & civem probum eſſe.*

4. *Quòd itaque antè diximus virtutem viri probi, & civis probi eandem fuiſſe: id intelligendum eſt de principali fundamento, ex quo leges variis officiis, ac conditionibus civium accommodatæ prodeunt: non de ipſis ſpecialibus officiis, quæ propriæ quaſdam facultates, ac conſtitutiones expoſcunt.*

V. Si in poſteris parentum, avorum, abavorumque corporis ſigna ſæpè ſervantur, cur non putandum eſt in ani-

animis quoque cum corpore complicatis, similes illis maiorum suorum propensiones, facilitates, & quasi igniculos esse reconditos?

1. *Rationi valdè consentaneum est à nativitate, ex temperamento corporis multorum successione confirmato, ad virtutes, earumque gradus eminentiores, alios aliis proniores, ac propensiores esse.*

2. *Hinc est quòd jure optimo nonnulli genere nobiles, alii ignobiles: nonnulli ingenui, alii sordidi nascantur.*

3. *Virtus itaque in viro per naturam nobili ac illustri pluris fieri debet: at in ignobili & obscuro admirabilior est, magisque propria. Nam in illo firmior est & constantior, firmioribus radicibus inhæret, ac cum virtutibus majorum complicata est: in hoc difficilior est, viribusque propriis magis innititur.*

VI. Ὁι ἐγκρατεῖς ἐπιθυμοῦσι μὲν πράττειν οἷς ἔχουσι τὴν ἕξιν, οὐκ ἀναλγήτοις τῷ νῷ. 3. de Anima.

1. *In continente appetitus superatur non domatur, vincitur non subjicitur.*

2. *Continens non est temperans, nec incontinentia intemperantia.*

3. *Habitus virtutis, aut vitii tum demùm acquiritur, cùm appetitus sensuum consuetudine ita est confirmatus, ut adversus rationem non surgat, cum ea non pugnet, sed libentissimè ei obtemperet.*

4. *Virtus itaque non mentis, sed appetitus sensuum rationi obtemperantis habitus est.*

6. *Subjectum virtutum moralium non est commune cum feris, in quibus appetitus non natus est rationi obtemperare.*

5. *Non solùm ratione principii & dirigentis, sed etiam subiecti & recipientis, actio virtutis hominis propria est, in qua ipsius summum bonum collocatur.*

VII. Ἕκαστοι

VII. Ἕκαστος βουλεύεται περὶ τῶν δι' ἄλλου πρακτῶν, 3. Ethic. Cap. 3.

1. *De alienis, quæque in nostra potestate non sunt, nullus deliberat.*

2. *Quæ per amicos fiunt non sunt aliena, sed etiam per nos fieri dicuntur, quatenus principium est in nobis 3. Eth. c. 3.*

3. *Quòd si nonnunquam consultamus de alienis, quorũ principium in nobis non est, vel id facimus gratia exercitii, ut rectiùs nostras actiones dirigere valeamus: vel sunt consultationes inanes, sineque destitutæ.*

4. *Ideò sæpe nos ipsos tunc carpimus, quòd inaniter velut in aliena Repub. laboremus.*

VIII. Amicitia est proborum mutuus, cõspicuus, confirmatusq. amor, ex probitatis cognitione consurgens, ad vitæ honestæ conjunctionem conducens: concordia est plurium ad unum aliquid consensio, atq. conspiratio.

1. *Inter improbos concordia esse potest, nulla amicitia.*

2. *Neq; improbus probo unquam amicus erit, aut contra.*

3. *Propterea rectè dixit Seneca, solus sapiens scit amare, solus sapiens amicus est.*

1. *Etsi amicitia non sit virtus, ei tamẽ persimilis est, tanquam fructus, & usus virtutum præstantissimus, præsertim Iustitiæ, quæ suum cuique tribuit.*

2. *Bona externa, prospera & adversa fortuna, amicitiæ vinculum rũpere non debent, nec valent.*

3. *Ad amicitiam paritas studiorum & communio consuetudinis, in simili genere vitæ, non est necessaria.*

4. *Non solùm inter æquales, sed valdè inæquales, ut privatum hominem, & regem amicitia servari potest.*

5. *Non omnis amicitia est æqualitatis, sed quædam excellentiæ est, quæ in eminentia quadam amicitiam includit, & æqualitatis amicitiæ præferenda est.*

6. *Qui igitur amico privato, & æquali illustria exoptat bona, ut dignitatem regiam, non expetit (ut quidam putant) interitum amicitiæ suæ, sed ejusdem potiùs perfectionem: amici enim est potiùs beneficia dare, quàm accipere: ut Arist. 9. Ethic. Cap. 9. testatur.*

IX. Πρὸς τὸν φίλον ἔχει τὴν αὐτὴν πρὸς ἑαυτὸν ἴσει γὰρ ὁ φίλος ἄλλος αὐτὸς. 9. Ethic. Cap. 4.

1. *Qui cum amico est magis est, cùm sit velut geminatio ipsius esse.*

2. *Quare esse cum amico magis etiam optabile est.*

3. *Vt igitur homo sit omni ex parte perfectus, amicis eget: alioqui esset impotens, non animo, non manibus, non viribus maximè polleret: quia careret horum geminatione, quæ viro amicis prædito felicissimè competit.*

4. *Felicitas civilis eget amicis non tanquam bono prorsus externo, sed etiam velut parte sui: nam amici dilectio quæ unionem animorum facit, & actio honesta amicum respiciens, quid internum est, & portio quædam felicitatis.*

X. Ὁ εὐδαίμων ἀγαθὸς ἀληθῶς ἐστι, καὶ τετράγωνος ἀνευ ψόγου. 1. Eth. c. 10.

1. *Qui verè prudens ac beatus est, decenter feret omnia infortunia: & quæ mala aut odiosa sunt nunquam perpetrabit.*

2. *Si tyrannus decernat, ut duorum amicorum alter moriatur, sicut non debet unus sponte mortem sibi præeligere ad salutem alterius: ita nec debet sollicitus esse pro salute sua, ut alter interficiatur: sed permitteret ut à tyranno decernatur quis debeat mori.*

3. *Et si ab eodem tyranno decernatur, ut alter duorum pro salute sua alterum necet, nec præeligere debet alterum necare.*

THE-

THESES PHYSICÆ.

I.

Ateria prima conditione propriâ ſimpliciter informis eſt, & pura potentia.

1. *Ideò non eſt actu hoc aliquid, ſed tantùm poteſtate. 8. Metaph. Text. 3.*

2. *Per ſe ac compleè ſubſiſtere nequit.*

3. *Etſi DEVS in principio materiam ex nihilo creavit, eam tamen non produxit ſeparatam.*

4. *Adeò ut potiùs concreata, quàm creata ſit prima rerum materia.*

5. *Quàm hallucinantur quidam ex Modernis, qui dicunt maſſam illam cœli & terræ (quod primi diei opus fuit) primam materiam omnium rerum fuiſſe.*

6. *Et inde concludunt materiam primam neque fuiſſe principium conſtitutivum corporis naturalis, quod actu manet in re conſtituta: ſed tantùm productivum, quod abſolutâ generatione non manet, ſed eſſe deſinit.*

II. Ἔστι τοίνυν ἀνάγκη ἐκ ὑποκειμένου τινὸς ὑπάρχειν ἀλλὰ μὴ ἐκ τοῦ ὑποκειμένου. 2. Phyſ. Text. 26.

1. *Formæ eductionem præcedat apparatus materiæ neceſſe eſt, qui fit per prævias qualitates alterando.*

2. *Ex materia igitur in potentia fit mater ia in actu: id eſt, quæ tunc actu exiſtit ſine ulla cauſa, quæ ipſam facit aptam ad formam recipiendam.*

3. *Privatio principium generationi necessarium est.*

4. *Corpora naturalia licet in principio ex massa illa rudi, & confusa à DEO condita esse dicantur, per creationem tamen, non generationem producta fuerunt.*

5. *Creatio potest esse ex materia præexistente.*

6. *Materia, sicut etiam forma communia possunt esse principia tam creationis, quàm generationis.*

7. *Adeò ut minimè semper inter se pugnent, ex materia produci, & ex nihilo fieri.*

III. Experientiâ notum est ex multis vermibus muscas fieri, & papiliones.

1. *An vivens ex vivente fiet tanquam ex materia?*

2. *Et vivens non semper in cadaver, sed quandoque in alind vivens interibit?*

3. *Quin igitur potiùs quàm movenda sint fundamenta generationis naturalis, dicendum erit hujusmodi vermes & muscas non specie, imò nec numero distingui.*

4. *Vermes, & muscæ quæ ex vermibus fiunt, non essentialiter, sed accidentaliter duntaxat distinguuntur.*

5. *Adeò ut productio papilionis, nō tam sit novi animalis generatio, quàm eiusdē transformatio quædam, aut transfiguratio.*

6. *Si Pythagorica μετεμψυχωσις non alia esset, quàm migratio animæ vermis in muscam aut papilionem, profectò in μετεμψυχωσις essemus & nos Pythagorici.*

7. *Animalia alata, & pedestria non semper specie, aut etiam numero distinguuntur.*

8. *Vt meritò ala non ad avem, sed alatum referatur.*

IV. Materia est primum subjectum ex quo unumquodque fit. 1. Phys. Text. 82.

1 *Materia prima, & quævis ipsius portio ex natura sua omnes formas respicit adæquatè, sub ratione formæ amissibilis, ex modo informandi desumpta.*

2. *Omnis*

2. *Omnis materia sublunarium est ejusdem specici ex natura sua, utut formæ toto genere distinguantur.*

3. *Materiæ portiones divisæ numero distinctæ sunt tantùm per divisionẽ, sicut una aqua per divisionẽ plures numero evadit*

4. *Vna specie materia potest simul esse sub formis genere distinctis, non una numero simul, sed successivè.*

5. *Ideò nulla forma aut speciem, aut numerum dat materiæ, sed toti composito.*

6. *Vnitas & distinctio compositi, materiæ ex sua natura consideratæ tantùm adventitia est, & accidentalis, quæ pro diversitate formarum variatur.*

V. Privatio secundum se ut nullam entitatem positivam, ita nec speciem ullam habet, sed reducitur ad speciem formæ quam in materia negat.

1. *Ergo neque habet unitatem, aut distinctionem specificam, nisi secundum unitatem, aut distinctionem formarum.*

2. *Cùm itaque repugnet materiam proximè & immediatè privatam esse simul sub diversis formis, nequit simul distinctas privationes secundum speciem, aut numerum habere.*

3. *Distinctas igitur secundum speciem, aut numerum privationes non habet, nisi successivè, quatenus diversas specie, aut numero formas successivè recipit.*

VI. Materia nullius generationis principium est actu, nisi formâ aliquâ priùs introductâ actuetur, quâ apta redditur ad receptionem formæ generandæ.

1. *Si nulla forma introducatur nisi ex materia privata, ex Arist. qui mundum falsò æternum esse putavit, utrũ forma privationẽ, an privatio formam antecedat, nequit determinari.*

2. *At ex veritate, quâ nos Christiani mundum à DEO ex nihilo conditũ fuisse credimus, absolutè loquendo, formã tẽpore etiam præcessit omnẽ privationem Physicam & particularem.*

3. *Et privatio etiam particularis tempore præcessit omnem formam generandam.*

4. *Adeò*

4. *Adeò ut respectu compositi generandi forma ultimum omnium principium sit.*

VII. Causa univoca debet esse ejusdem perfectionis essentialis cum effecto: æquivoca autem essentialiter effecto nobilior est, cùm illud eminenter contineat.

1. *Nullum instrumentum quà tale univoca, aut æquivoca causa esse potest alicujus effecti.*

2. *Accidens in productione similis accidentis causa est propria, & principalis: at in productione substantiæ tantùm instrumentaria.*

3. *Ideò calor à subjecto separatus, calfacere fortasse posset, sed ignem gignere non posset.*

VIII. Actio ut talis agentem respicit essentialiter.

1. *Agentia quæ per diversas virtutes, diversosque concursus non subordinatos operantur, eandem numero actionem producere nequeunt.*

2. *Ergo ubi sunt diversa numero agentia, necesse est ponere diversas numero actiones.*

3. *Duo ignes non calfaciunt eandem numero aquam, nisi per duas actiones numero distinctas.*

4. *In eodem itaque numero subjecto non est absurdum duo accidentia solo numero distincta reperiri.*

5. *Ideòque falsum est accidens semper individuationem accipere à solo subiecto.*

6. *Quòd communiter hoc pro absurdo reputetur, de omnino absolutis, non autem respectum aliquem includentibus intelligendum est.*

7. *Duo calores solo numero distincti, in eodem subjecto inesse nequeunt.*

8. *Dum itaque duo ignes calfaciunt eandem numero aquam, idem numero calor per duas numero distinctas actiones producitur.*

9. *Actio-*

9. *Actiones distinctæ non postulant necessariò terminos distinctos, sed distincta agentia per distinctas virtutes agendi, ad eundem effectum producendum concurrere possunt.*

IX. Monstrum est effectus naturalis à recta & consueta dispositione secundum speciem degenerans.

1. *Rarus debet esse effectus naturalis respectu totius naturæ, & cuiuslibet partis ipsius, ut monstrosus appelletur.*

2. *Vnde fit ut si in aliqua provincia, vel ob nimiam fœcunditatem generentur procera statuæ homines, qui gigantes vocantur: vel ob sterilitatem, Pygmæi: non debeant tamen monstra naturæ cẽseri.*

1. *Particulares etiam causæ ad generationem concurrẽtes, etsi non primariâ, secundariâ tamen intentione monstrum intendere possunt.*

2. *Ideoque etiam per se, licet secundariò; secundum illud Philosophi 2. Ethic. Cap. 9.* ἐπὶ τῶ μᾶλλον τυχεῖν ἀκρότης χαλεπὸν, κατὰ τὸν δεύτερον δὲ πλοῦν, τὸ ἐλαχίστα λαττᾶν τῶν καλῶν.

3. *Itaque non pugnat aliquid esse per se intentum intentione secundariâ, & esse simpliciter præter intentionem: aut per se intentum secundariâ intentione, & simpliciter per accidens, aut casu evenire.*

4. *Monstrum itaque effectus purè casualis non est, & omnino per accidens. sicut ille qui casu dũtaxat evenire dicitur.*

5. *Optimè igitur probat Arist. 2. Phys. Cap. 8. Naturam agere propter finem, ex eo quòd aberret à fine in monstris producendis.* Τὰ γὰρ τέρατα ἁμαρτήματα ἐστὶν τῦ τέλους τοῦ.

X. Motus est actus ejus quod est in potentia, quà tale. 3. Phys. Text. 6.

1. *Diminutio quantitatis, aut remissio qualitatis, veri motus sunt.*

2. *Adeò ut motus tam consistat cum abjectione, quàm*

1. *Formaliter itaque nil aliud est, quàm via, fluxus, seu (ut loquuntur) tendentia de termino in terminum.*

2. *Quare cum res in* fieri

acquisitione formarum.

3. Motus non semper tendit ad perfectionem, nisi perfectionẽ in imperfectione etiam admittamus.

4. Acquisitio graduum termini ad quem, illius quidem perfectio, at simpliciter imperfectio nonnunquam est.

4. Motus semper est actus perfectibilis aut positivi, aut privativi.

& in esse, non sint distincta entitates, manifestum est motum à termino ad quem realiter non distingui.

3. Desinente motu, licet quid reale, non tamen realiter à termino permanente distinctum desinit.

4. Cùm tamen sine dependentia ab intellectu, motus formaliter est id quod est, licet non tanquam alia entitas à termino, ex natura tamen rei ab eodem distinguitur.

5. Adeò ut distinctio à termino, etiam realis, sed modalis duntaxat appellari debeat.

6. Alio igitur modo reali se res habet in fieri, *& in* esse: *nam in* fieri *realiter mutatur, in* esse *mutata est.*

7. Igitur aliter se habere in facto esse, *non est mutari, sed* mutatum esse, *& terminum acquisiviſse.*

1. Per solum itaque motum res aliter dicitur se habere in fieri, *non per receptionem formæ.*

9. Vnde sequitur quòd licet motus, & terminus realiter distinguantur, non tamen propterea distinctæ sint mutationes, aut motus.

10. Et ex consequenti, licet mobile in se recipiat utrumque, duplici tamen mutatione non mutatur, sed unâ duntaxat, nempe per motum.

XI. ἡ κίνησις ἕστι, ταύτῃ ἴσην ἑκάστου κατηγορίας ἀριθμὸν ὁ χρόνος. 4. Phyſ. t. 132.

1. Etsi admittamus plura tempora, unum primarium ex motu cœli, alia infinita secundaria, ex motibus cæteris, esse tamen omnia ejusdem speciei, soloque numero distincta, ex mente Arist. affirmamus.

2. Di-

2. *Distinctio specifica motus non inducit specificam temporis distinctionem, sed numericam duntaxat.*

3. *Tempora motuum solo numero distinctorũ, tantam distinctionem habent, quantam si motus toto genere distinguerentur.*

4. *Si tempus secundum essentiam consideremus, distinctorum motuum idem tempus esse nequit.*

5. *Quod dicit Arist. lib. 5. Phys. text. 4. idem esse tempus etiam motuum qui genere, aut specie distinguuntur, hoc intelligendum erit non de interna cujusque motus duratione, sed de externa mensura: non de tempore secundario cuique motui proprio, sed de primario, omniumque motuum communi mensura, quod duntaxat primi mobilis est.*

XII. Entitas, natura, & modus essendi continuorum permanẽtium permanens est: successivorum verò (ut motus & temporis) in fluxu & transitu consistit.

1. *Ideò continuorum permanentium partes, & etiam indivisibilia, permanentia sunt: successivorum verò, successiva.*

2. *Partes motus, ut calfactionis, non sunt partes caloris nec illius indivisibilia, indivisibilia hujus.*

3. Mutata esse *calfactionis, non sunt* mutata esse *caloris, sed hæc per illa acquiruntur.*

4. *Partes motus non continuantur, nec etiam terminantur per indivisibilia termini: nam entitas permanens fluentem & successivam intrinsecè terminare nequit.*

5. *Transeunte motu, sicut nulla ipsius pars manet, ita nec ullũ ipsius indivisibile, hoc est* mutatum esse *continuativũ, aut terminativũ: licet permaneat terminus cum suis indivisibilib⁹.*

6. *Itaque cùm primùm verum est mobile esse in termino ad quem, tunc primò est verum etiam motum non esse, nec ullam ejus partem, nec ullum indivisibile continuativũ, sed terminativum duntaxat, quod statim etiam desinit post idem jnstans.*

7. *Cùm itaque de Ratione rei indivisibilis successivæ sit,*

post partem, motus licet ultimum habeat, nequit tamen primum indivisibile habere.

8. *Et cùm indivisibilia motus & temporis sese consequantur, neque tempus primum instans intrinsecum habere potest.*

9. *Non tamen propterea aut tempus, aut motus aterna erunt, cùm benè per indivisibilia extrinseca incipere queant, hoc est, in quibus verum sit dicere, nondum esse, sed immediatè post, seu tempore proximè insequenti futura esse.*

10. *Non similis incipiendi ratio in successivis est, ut in permanentibus, in quibus propter esse permanens, ex parte principii terminus indivisibile intrinsecum est.*

XIII. Anima est actus primus corporis organici. 2. de Anima, Text. 7.

1. *Viventia præter perfectionem quam proximè habent per generationem, sese perficere possunt per motus, & operationes continuas, ad quas naturales, ac vitales facultates natura ipsis tribuit: non viventia autem ob animæ defectum se perficere nequeunt.*

2. *Non viventia imperfecta non generantur, sed nacta sunt omnem perfectionem suæ naturæ debitam, à generante, ex vi generationis suæ.*

3. *Cùm itaque vi generationis, in eodem etiam instanti aut in locis naturalibus existant, aut (si hoc impediatur) naturam & vires locum naturalem consequendi, remoto impedimento, à generante obtineant: idèo motus eorum naturalis generanti, ut primæ ac principali causæ, meritò tribuitur.*

4. *Quamvis igitur natura gravium ac levium, eorumq; qualitates motrices ad motum naturalem effectivè, proximeq; concurrant, iis tamen ab Arist. 8. Phys. cap. 4. motus non tribuitur: quia non concurrunt sicut virtutes viventium ad proprios motus & operationes: sed tanquam virtutes generantis, in eundem finem ipsis in primo instanti generationis ab eodem tributæ.*

XIV. Aquam

XIV. Aquam alia refrigerare non pertinet ad perfectionem propriam: at frigidam esse, aquæ nativum est.

1. *Idcò alia refrigerare non est aquæ debitum vi generationis, nec generanti tribuitur, sed propriæ ipsius formæ, duntaxat: at in pristinum & nativum frigus redire, postquàm calefacta est, aquæ vi generationis debetur, non formæ, sed generanti præcipuè tribuitur.*

2. *Aqua igitur in pristinum frigus revocatur non à corpore ambiente (ut quidam putant) sed à propria forma, tanquam virtute generantis.*

3. *Cùm igitur hæc mutatio à natura ipsius aquæ fluat, annon aliqua transmutatio erit per emanationem?*

4. *Et aliquid in se ipsum aget per transmutationem? Nam aqua seipsam etiam refrigerat.*

XV. Natura semper alicuius gratiâ operatur. 2. Phys. c. 8.

1. *Oportet omnem motum naturæ congruentem, finem aliquem spectare.*

2. *Non movetur cœlum propter sui conservationem: Nihil sanè novi acquirit propter se.*

3. *Quare ob inferiorum generationem præcipuè cœlum moveri putandum est.*

4. *Cùm itaque commune sit & universale agens, quod in omnia subjecta corpora suas virtutes, ac influentias spargit, eorumque mistiones, alterationes, & motuum vicissitudines moderatur: æquum est ut ipsius forma sicut efficacitate agendi, ita excellentiâ naturæ elementorum formis longè præcellat.*

5. *Cùm Arist. inter omnes Philosophos primus excellentiam corporis cœlestis illustrem in scholis reddiderit, meritò jam in proverbium fere abiit, cœlum quintam substantiam esse Peripateticorum.*

XVI. Linea recta & simplex, quæ magnitudinem simplicem in motu Physico constituit, est recta à centro mundi,

di, ad circumferentiam cœli. 1. de Cœlo, Cap. 2.

1. *Omnes motus simplices & recti, super lineis fiunt centro mundi perpendicularibus.*

2. *Gravia non feruntur ad centrum secundum lineas parallelas, sed quò longiùs versus centrum abeunt, eò magis sibi invicem appropinquant.*

3. *Ergo neq. parietes ad perpendiculi normam erecti aequidistantes sunt, sed quò magis à terra recedunt, eò inter se distantiores existunt.*

4. *Adeò ut domus ad perpendiculum constructa latior sit versus tectum, quàm fundamentum.*

5. *Licet hic accessus, aut recessus parietum in parvo spatio non dignoscatur: in permagna tamen altitudine sensibilis absque dubio differentia foret.*

XVII. Aër generatur actione excedentis caloris, sed nõ summi, ut patet cum ignis aquam lebetis in aërẽ resolvit. Levitas item caloris comes est, non frigoris.

1. *Aër suâ naturâ calidus est cum Arist. non frigidus, ut quidam putant.*

2. *Frigidus duntaxat per accidens erit.*

3. *Quòd itaq. noctu, hieme, aliisq. temporibus frigeat aër, non est ex natura, sed quòd cùm rarus ac tenuis existens, obnoxius sit adventitiis impressionibus frigidis, quae per id tempus ad nativum frigus redeunt, quorumque actionem praesentia Solis priùs, aut impediebat, aut retardabat.*

XVIII. Quæ simpliciter non sunt minimè miscentur. 1. de Ortu, text. 82.

1. *Elementa in misto penitùs non intereunt.*

2. *Manent ergo formæ elementorum in mistione secundum aliquos sui gradus.*

3. *Ac proinde formæ elementorum divisibiles erunt.*

4. *Quòd essentia rerum impartibiles esse dicantur, nec intensionis*

tensionis, nec remissionis capaces, hoc intelligendum erit sine variatione speciei.

5. Nullus ergo gradus formarum elementarium, qui realitas ipsius appellatur, variari potest sine variatione speciei.

6. Cùm ergo multiplex fiat variatio formarum elementarium ante mixti perfecti generationem, necesse est etiam variationes specierum eandem praecedere.

7. Adeò ut ante perfecti mixti eductionẽ multa sint imperfectè mixta, de quibus ob varietatẽ nil certi tradere potuit Arist.

8. In lib. Meteor. nõ de omnibus imperfectè mistis agitur, sed de quib' ratio certa reddi potuit, qualia sunt quæ Meteora vocãtur.

XIX. Τὸ ἄνω, τὸ πῦρ, ὃ δὲ ἀὴρ πρὸς τοῦτο, καὶ πρὸς χθόνα, τὸ σῶμα βαρύμενον. 1. de Ort. Text. 78.

1. Si loquamur de proximo agente, omnis actio erit immediata.

2. Et nihil aget in extremum, aut remotum, quin etiam agat in medium, si primam alicuius rei actionem attendamus, quæ est virtutis ab agente derivatio.

3. Quòd itaque non cernamus varia effecta in medio, quæ producuntur in extremo, de secundis actionibus quæ primam, sed in capaci duntaxat subjecto sequuntur, est intelligendum.

4. Virtus itaq. Magnetis, Torpedinis, Remoræ, &c. sine dubio per medium etiam transit: attractio tamen, stupefactio, & remoratio non in medio, sed in suo quæque subiecto capaci observatur.

XX. Anima est actus corporis potentiâ vitã habentis.

1. Anima ex propria sua ratione habet, quòd sit principium internum, ac radicale vitalis operationis.

2. Cùm itaq. tribus tantùm modis universalibus principium sit operationum vitalium (nempe per modum naturæ sine omni cognitione, per modum cognitionis imperfectæ & sensitivæ, quæ est per organum, & per modum perfectæ ac intellectivæ, quæ sine organo est) tres tantùm animarum species distingui debent, vegetalis, sensitiva, & rationalis.

3. Si

3. *Si animantia præcisè secundum essentiales vitæ gradus à se invicem separatos considerentur, tres duntaxat vitæ gradus etiam distinguendi sunt.*

4. *Facultas loco motiva non constituit gradum vitæ à sensitivo distinctum, in ordine ad principium, sed duntaxat ad subjectum, in quo quandam perfectionem (sed accidentalem) importat.*

XXI. Μᾶζον τὸ ἄλυ ἀγωγὸν τροφῆς τῷ, ὃ κινητικὸν τροφῆ, καὶ ἐνεργείᾳ, μεταβλητῷ δὲ εἰς τὸ δυνάμει τοιοῦτο. Arist. 1. de Ort. Text. 38.

1. *Alimentum igitur actu quidem aliud est, & potentiâ duntaxat illud quod est nutriendum. Ibid. Text. 39.*

2. *Conversio substantialis in partes viventis fit per corruptionem substantialem alimenti. Ibid.*

3. *Cùm itaque sanguis ex omnium sententia, ultimum sit alimentum animalis in nutritione, secundum formam substantialem corrumpetur.*

4. *Ideò sanguis per nutritionem amittit formam quam habebat, & acquirit novam quæ animalis est.*

5. *Vnde sequitur sub forma sanguinis animam non habuisse.*

6. *Ac proinde anima licet sanguinem regat, eum tamen non informat.*

7. *Propterea sanguis non movetur in corpore motu vitali, sicut animata: sed solùm à principio extrinseco, mediis spiritibus vitalibus tanquam instrumentis: quod adeò verum est, ut in corpore adhuc recenter mortuo, ab eisdem spiritibus moveatur.*

8. *Non est necesse, ut omnes partes ejusdem compositi integrantes eâdem formâ informentur, nisi de primariis intelligatur, quæque ad primariam ipsius constitutionem spectant: quales in animali arbitramur esse duntaxat solidas, ut ossa, carnes, nervos: non autem secundarias, fluidas, & tenues, ut*

san-

ſanguinem, humores, ſpiritus, quæ cum cæteris partibus diſcontinuæ ſunt.

XXII. Τὸ δυνάμει ἄρα ἔστιν ὅπως τὸ αἰσθητὸν ἤδη οἷόν ἐστιν ἐνεργείᾳ. 2. de Anima, Textu 62.

1. Πάσχει μὲν οὖν τῷ ὄμοιον ὄν, φθείρεται δὲ μᾶλλον ἢ, καὶ ἔστιν ὅταν ἀπόλῃται. Ibid.

2. *Cognitio ſenſitiva fit per aſſimilationem potentiæ cum objecto.*

3. *Cùm poſſibile non ſit potentiam uniri cum objecto materiali, neceſſe eſt per ipſius ſpeciem in ſe productam uniatur.*

4. *Species itaque operatur non virtute propriâ, ſed virtute objecti, tanquam ratio & medium illud aſſequendi.*

5. *Species igitur non eſt illud* quod, *ſed* quo *aliquid à ſenſibus percipitur.*

6. *Si omnes ſenſus recipiant ſpecies ſine materia, (ſicut tradit Ariſt. 2. de Anima, textu 121.) ſicut non videmus imaginem in ſpeculo, ſed ipſum duntaxat objectum materiale per imaginem: ita ab igne calefacti neque percipimus calorem intentionalem in medio, ſed eum duntaxat qui in ipſo igne eſt.*

XXIII. Poſito èregione ſpeculo, in eodem Sol per ſpeciem, nõ aliter quam res aliæ per ſuas ſpecies, apparet.

1. *Lumen non aliter ad Solis, quam aliarum rerum viſionem concurrit.*

2. *Lumen non eſt lux producta à Sole in aëre, ut per eam videatur.*

3. *Non eſt igitur ſpecies lucis, & qualitas intentionalis.*

4. *Cùm itaque lumen in medio productum, & ipſum calfacere poſſit, & cætera corpora in ipſo exiſtentia, quod effectum reale & naturale eſt, ideò etiam accidens reale ac naturale erit.*

XXIV. Ὁ τοῦ ἰδόντος ἐστὶ τοῦ ἰδεῖν, καὶ ἡ ἀκοὴ τοῦ ἀκουστοῦ. 3. de Anima, Text. 38.

1. *Proprium ac principale objectum intellectus ſpecies ſunt non ſenſibiles, ſed intelligibiles.*

2. Cùm

2. *Cùm itaque forma à sensibilibus sic distincta, propriè sit essentia rerum & universale, mens sola est quæ essentias apprehendit & universalia.*

3. *Ac proinde mens etiam sola, non tam ex defectu organi, quàm ex propria conditione intellectiva locus specierum dici meretur.*

XXV. Quicquid potest cognoscere facultas inferior idem & superior. Intellectus præterea ex singularibus universale colligit, & cum iisdem comparat.

1. *Ergo intellectus etiam singularia, & sensibilia intelligit, non solùm directè, sed etiam primò.*

2. *Primò cognitum, non est cognitum principale.*

3. *Et licet mens sola specierum locus sit, non tamen sensus locus sensibilium dici meretur.*

4. *Quòd sensus dicatur* τῶν ἀνθρώπων, *non simpliciter erit respectu cognitionis, sed solius organi.*

THESES ASTRONOMICÆ.

I.

HOrizon habitantum sub polis coincidit cum æquinoctiali.

1. *Maxima Solis in Meridie altitudo, maximaq; depressio coincidunt cum ipsius declinationibus.*

2. *In hieme Sol ultra plures gradus quàm 23, sub horizontem non deprimitur.*

3. *Si*

3. *Si 18. gradus circuli maximi per Solem ſub horizonte, & zenith tranſeuntis (ut communiter affirmãt Aſtronomi) terminant crepuſculũ matutinũ, & veſpertinũ; circa 4. menſes & dimidium, habitantes ſub polis cõtinuum crepuſculum habebunt.*

4. *Adeoq. ſi diem accipiamus pro ſpatio temporis, quo lumẽ ex radiis Solaribus quomodocunq; effectum, ſupra hemiſphærium manet, diẽ etiã cõtinuum per 10. menſes & dimidium habebunt.*

5. *Et cõſequẽter noctẽ per unicũ dũtaxat menſẽ cum dimidio.*

II. Secundum elevationẽ noſtram, quæ eſt grad. ferè 56, Sol à 18. grad. Tauri ad 12. Leonis, ultra 18. gr. ſub horiz. non deprimitur, ut ex globo Aſtronom. manifeſtum eſt.

1. *An igitur plus quàm ad duos integros menſes, lumen aliquod Solis ſupra hemiſphærium apparebit?*

2. *Et cõſequẽter per idẽ tẽpus nobis crepuſculum pro nocte erit?*

3. *Cùm itaq. hæc ſenſibus repugnent, Aſtronomi vel crepuſculum ſuum paucioribus gradibus terminabunt, vel in meris tenebris lumen aliquod eſſe perſuadebunt.*

III. Omnes ſtellæ fixæ motu ſecundo ab occidente in orientem, ſecundum zodiacum feruntur.

1. *Quare neceſſe eſt declinationes mutare.*

2. *Ortus & occaſus Poëtici & reſpectu loci, & tẽporis variãtur.*

3. *Quæ de his extant apud veteres Poëtas exẽpla, pleraq. nunc malè cadẽ tempora anni deſignant, quæ olim benè deſignabant.*

4. *Qui itaq. cum laude inter Poëtas verſari velit, neceſſe eſt ſtellas ad locum, & tempus Poëtarum reducat.*

5. *Ortus & occaſus Poëtici nõ niſi ex Aſtron. intelligi queunt.*

6. Καθ' ἡλίωσιν *verè Aſtron. ſunt, licet* κατὰ χρῆσιν *poëtici vocẽtur.*

IV. Stellæ Sole ſuperiores, tardiùs: Luna celeriùs: Venus & Mercurius, quandoq. tardiùs, quandoq. celeriùs quàm Sol, ab occidente feruntur.

1. *Oriuntur & occidunt heliacè omnes, ſed diverſo modo, & tempore, quod ſic explicamus.*

2. *Planetæ superiores, & stellæ fixæ per Solis accessum, motumq. celeriorem, tempore matutino in oriente heliacè oriuntur: & vespertino, in occidente occultantur.*

3 *Luna suo accessu ad Solem contrà, tempore vespertino in occidente oritur, & matutino in oriente occidit.*

4. *Venus, & Mercurius ob mutuum Solis, ipsorumque accessum, nunc tempore matutino, nunc vespertino, in oriente & occidente oriuntur & occidunt heliacè.*

5. *Ideoque Venus ob claritatem, non proprietatem, Phosphorus & Hesperus appellatur.*

V. Cernimus Lunam Sole inferiorem, pro vario ad Solem aspectu, variè per incrementa illustrari: ut nunc corniculata, nunc dimidiata, nunc plena appareat.

1. *Vnde luce clarius est Lunam à Sole lumen accipere, & globosam esse.*

2. *Annon igitur Venus & Mercurius quibus hæ varietates non conveniunt, licet sub Sole collocentur, lumen nativum, non obscurum ut multi concederent, sed splendidum & illustre habent; aut figuræ non erunt globosæ?*

3. *Quin potius quàm in tãta figurarũ similitudine dissimilitudinẽ, in tanta cõformitate difformitatẽ excogitemus, dicẽdum est Mercurium & Venerẽ vel ob parvitatẽ, nimiamq. propinquitatẽ, à Sole omninò irradiari: vel saltẽ eam luminis varietatem quam subeunt, ita exiguam esse, ut à nobis notari non queat.*

VI. Ab æquinoctiali ad 66. gr. elevationis poli borealis, dies longissimus est duntaxat 24. horarum: at inde ad polũ plus est quàm dierum 187. ex observationibus Astronom.

1. *Iuxta æquinoct. in magno terræ spacio diei excessus parvus, iuxta polũ cõtrà, in spacio exiguo, dierum excessus maximus est.*

2. *Adeò ut ad æquinoctialem, 8. gradus elevationis poli differentiam solummodo semihoræ: & versus polum, unus gradus elevationis 20. dierum differentiam comprehendant.*

3. *Et consequenter versus polum, per spacium vnius miliaris*

in terra (tribuēdo 53. miliaria 1. gr. in cælo. ſecūdū recētiores) ſi iuſta partitio fieret, dies longiſſimus per 9. horas variabitur.

4. Itaq. per exceſſum unius aut plurium gr. nō licebit ſecundū proportionē in aliis, aut omnibus gr. differētiā eandē cōcludere.

5. Longè aliter ſe res habet in quantitate terræ dimetienda, quàm in diverſitate dierum obſervanda ſecundum elevationē poli: nam in illa gradus gradibus ſimiliter reſpondent, & minuta minutis: in hac, ob declivitatem ſphæræ verſus polos, differentia maxima contingit.

VII. Horizon ſphæræ rectæ interſecat omnes parallelos ad angulos rectos: obliquæ verò, ad obliquos.

1. Omnes ſtellæ in ſphæra recta, cum iiſdem Ecliptica punctis oriuntur & occidunt: in obliqua minimè, ſed cum ſequentibus differentiis.

2. Stellæ Zodiaco borealiores cum quo Ecliptica gradu oriuntur, non ſimul occidunt cum eodem, ſed gradu poſteriore: cum quo autē gradu occidunt, non cum eodem ſimul oriuntur, ſed priore.

3. Stellæ auſtraliores contrà, cum quo puncto Ecliptica oriuntur, non cum eodem, ſed priore occidunt: & cum quo occidunt, non cum eodem, ſed poſteriore oriuntur.

4. Ideoque licet ſemper in ſphæra recta, non tamen in obliqua coſmicè diſcendit ſidus quod chronicè ſurgit, aut chronicè diſcendit ſidus quod coſmicè ſurgit.

5. Quòd cōmuniter hoc pro vero habeatur, de ipſis tantùm ſignis zodiaci, aut ſtellis Ecliptica propinquis intelligendum eſt.

VIII. Oculi pupilla, aut etiam diameter ſeu interſtitium oculorum, multò minor eſt globo lunari, ejuſq. diametro.

1. Oculus dimidiō ſphæræ Lunæ, caterarumque ſtellarum minus ſemper intuetur.

2. Et baſis pyramidis viſionis Lunæ in loco diſtantiore, major eſt quàm in propinquiore.

3. *Oculus igitur quò propiùs ad globum accedit, eò minorem videt ipsius partem: & quò longiùs, majorem.*

4. *Lunæ in Apogæo major pars videtur quàm in Perigæo.*

IX. Quæ sub majoribus angulis spectantur, majora apparẽt: quæ sub minoribus, minora: ut Optici demõstrant.

1. *Videmur itaque majorem globi partem intueri, quò propiùs: & minorem, quò longiùs intuemur.*

2. *Ideò Luna in Perigæo maior videtur quàm in Apogæo.*

3. *Hinc fit, ut Luna licet omnium stellarum minima, excepto Mercurio, major omnibus videatur: Soli verò æqualis, qui tamen infinitis ferè partibus major est.*

X. Lunæ à terra distantia maxima putatur esse diametrorum terræ $32\frac{1}{11}$: minima verò, tantùm $16\frac{1}{2}$.

1. *Distantia Lunæ maxima ad ejusdẽ minimam dupla est.*

2. *Cùm Luna non videatur duplò major in Perigæo quàm in Auge, argumentum Copernici paralogismus est, quo cõcludit duplò majorẽ videri magnitudinem, quæ duplò propinquior est.*

3. *Distantiæ Ptolemæi possunt esse veræ, dum interim diametri in utroque intervallo plurimùm non videantur differre.*

4. *Ac proinde Optica dictabit æquales magnitudines ab oculo inæqualiter distantes, habere minorem rationem angulorum sub quibus cernuntur, quàm distantiarum: nam anguli sensibiliter non differentes, distantiam valdè sensibilem habere possunt.*

FINIS.